

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Mors cz cum fonte primo

Nemo tam imperitus est ut
nesciat sibi quandoque moriendum;
tamen cum prope
accesserit, tergiuersatur, tremit et plorat.

Quid fles, miser? Quid trepidas?

Omnes hac
necessitate ducuntur; eo ibis quo omnia
eunt.

Ad hanc legem natus es; hoc patri tuo
accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc
omnibus ante te, hoc omnibus post te.

Quantus te populus moriturorum
sequetur, quantus concomitabitur!
Fortior, ut opinor, esses si
multi tibi commorentur;
multa milia hominum

hoc ipso momento quo tu mori dubitas
animam uariis generibus emittunt.
An non putabis te ad id aliquando
peruenturum ad quod semper ibas,
nullum sine exitu iter est.

Seneca LXXVIII. epistola.

Nemo tam imperitus est ut
nesciat quandoque moriendum;
tamen cum prope
accessit, tergiuersatur, tremit, plorat.
Nonne tibi videtur stultissimus omnium
qui fleuit quod ante annos mille non
vixerat? aequè stultus est qui flet quod
post annos mille non vivet. Haec paria
sunt: non eris nec fuisti; utrumque
tempus alienum est. In hoc punctum
coniectus es, quod ut extendas, quousque
extendes?

Quid fles? quid optas? perdis operam.
'Desine fata deum flecti sperare
precando' (Verg., Aen. 6.376). Rata et
fixa sunt et magna atque aeterna
necessitate ducuntur: eo ibis quo omnia
eunt.

Quid tibi novi est?

Ad hanc legem natus es; hoc patri tuo
accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc
omnibus ante te, hoc omnibus post te.
Series invicta et nulla mutabilis ope
inligavit ac trahit cuncta.

Quantus te populus moriturorum
sequetur, quantus comitabitur!

Fortior, ut opinor, esses, si
multa milia tibi commorerentur; atqui
multa milia et hominum
et animalium

hoc ipso momento quo tu mori dubitas
animam variis generibus emittunt.

Tu autem non putabas te aliquando ad id
peruenturum ad quod semper ibas?
Nullum sine exitu iter est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 77, 11-13 (L.
Reynolds ed., vol.1, p.247, ll.3-22).